



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regulae Societatis Iesu

Angeli, Bernardo d'

Romae, 1616

Regulæ Procuratoris Collegii, & Domus Probationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68329](#)



REGVLAE

PROCVRATORIS COLLEGII,

& Domus Probationis.



Qualis esse
debeat.



N omnium negotiorum tra-
statione perpetuo memor
sit instituti Societatis, qua
Dei omnipotentis gloriam
quærens, profectui anima-
rum inuigilat. Curet igitur
ipse verbo, & exemplo eos omnes ædificare,
quibuscum conuersatur; atque eos sibi bene-
uulos conseruare, quorum opera ad negotia
peragenda indiget.

P. 3.c.2. §.7.
Res tempora-
les curet.

2 Procuratoris erit conseruare res tem-
porales suæ curæ commissas, & eas curare,
tanquam bona propria Domini Nostri Iesu
Christi. Cum autem toti Collegio necessaria
prouidere ipse debeat, iuxta Superioris ordi-
nem,

nem, ad eum pertinebit prouentus quoscunque Collegij, vel Domus Probationis, & eleemosynas, vbi petendas à Rectore intelle-

xerit, exigere ac recipere: syngraphas vero solutionis, quando opus erit, ipse dabit subscriptas à Rectore, aut à se, illius commis-

sione.

3 Omnes Collegij prouentus, & tem- Quæ in libro
pora, quibus colligendi sunt, in peculiari li- scribat.
bro scribebat, & seorsum summam contra-
etuum, & locationum, quæ ad breue tem-
pus fiunt: seorsum etiam quascunque res,
aut pecunias ex fructibus Collegij percep-
rit, addito à quibus, & quando ea proue-
nerint: eleemosynæ autem alio in loco scri-
bantur.

4 Singulis mensibus dati, & accepti ra- P. 4. c. 2. S. 5.
tionem Rectori reddet; debitaque, & credita Rationem Re
Collegij indicabit, quo ipse domus statum
prorsus intelligat.

5 Pecunia vnde cunque ea prouenerit, Arca pecunia
si alicuius momenti fuerit, iudicio Superio- rum, & earum
ris, in arca reponetur ad id designata. hu- liber, & quot
ius Rector clauem vnam, & ipse Procurator ciaues.
alteram diuersam custodiat: in eadem liber
asseruabitur, in quo scribetur pecuniæ sum-
ma, tam eius quæ infertur, quam eius, quæ
effertur. si quando autem cogente aliqua
necessitate pecunia in arcam non inferretur,
nihilominus accepti, & expensi summa in-

eodem libro statim scribatur , ac si in ea re poneretur .

*Ex ea accep-
tam pecuniam
notet .*

6 Quoties ex arca pecuniam accipiet, eius summam, & diem in libro suarum rationum adscribat ; in alia vero parte libri , expensi ratio constet .

*In ex.c.4.§.4
&p. i.c.4.§.6
A Nouitijs
allata curet
seruari .*

7 Procurator in libro ad hoc designato quem penes se habere debet , scribat omnia quæ vnuquisque Nouitorum domum attruerit cum eiusdem subscriptione , & ea custodi vestium asseruanda tradet , nisi sit pecunia , quam separatim custodiet in arca , vbi pecuniæ Collegij reponuntur , donec biennio expleto Nouitius consueta vota Societatis emittat .

*Emptori pecu-
nias dabit , &
quotidie ratio-
nem exiget .*

8 Emptori pecunias ad quotidianos sum ptus subministrabit , à quo singulis diebus ex- pensarum exiget rationem ex codice ; sum- mam vero in librum suum ipse referet .

*Res bonas &
quam oppor-
tune emi cu-
bit .*

9 Curet , vt res omnes , præcipue diu duraturæ quam opportune emantur , ne has non perinde bonas , aut non æquo pretio co- gatur comparare ; caueat etiam ne dum ni- mium pecuniæ parcit , non bonas , aut insa- lubres res emat .

*Curabit res
emptas con-
seruari .*

10 Videat num ea , quæ empta sunt , illæsa conseruentur , atque animaduertens aliqua non vt oportet conseruari , aut ex- pendi , Superiorem , vel Ministrum admo- neat .

II Aduer-

11 Aduertat, num ea, quæ à Collegio possidentur, reparatione indigeant, seu dominus, seu prædia, seu quiduis aliud, ut ad Superiorum referat: si quid autem vendendum videretur, eodem inconsulto, ne faciat.

12 Omnia, quæ speciem habent secularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, & similibus, intelligat prohibita esse nostris.

13 Nihil, quod ad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aut alia aliquius momenti negotia pertineat, faciat, nisi ipsi à Superiorum commissum sit: si quid autem ex ijs quæ iubentur, ipsi videretur non expedire, eidem proponat modeste suam sententiam & rationes, quibus moueatur.

14 Excipiet in codicem lites, si quæ forte erunt; & quæ grauioris momenti circa eas fient, continenter, & summatim annotabit.

15 In tribunalibus iudicum non compareat, nisi quando aliqua necessitas plurimum urgere Superiori videretur; sed per externos Procuratores nostra negotia in publicis iudiciis peragantur.

16 Illud vero præcipue ante oculos habeat, ut antequam litem ullam intendat, res controversa (si fieri possit) concordia aut compromissione, consulto Superiorum, componatur: si quando tamen ad litem descendendum

Quæ reparanda, quæ vendenda.

Can. 27. cōg.

Seculares ne-gotiationes vi-tet.

Locationes, & similia incon-sulto Sup. non faciet.

Circa lites.

Publica iudi-cia & tribunalia.

Lites co-mpo-nendæ.

dendum erit, memor sit, ut magnam pacem interius exteriusque custodiat, & semper ad iustum concordiam ipsum paratum esse, contrariæ parti innotescat.

Solide negotia expediantur.

17 Curet diligenter, ut recte, & solide fiant, quæ expedienda erunt. quod si periti iuris consulendi sint, maxime idoneos eligantur. Idem de ceteris officialibus dictum intelligatur.

Cum Superiore negotia conferat.

18 Conferat cum Superiore, eique reddat rationem eorum, quæ facit, & quo in statu sint negotia; aut ei, quem ille designabit: quod si rerum difficultas extraordinarium fauorem, aut diligentiam exigere videatur, eidem significet, ut auxilia, quæ opportuna visa erunt, petantur.

Quæ in Archivio affluabit.

19 Diligenti cura asseruabit in Archivio ad hoc designato instrumenta originalia, & titulos, quibus constat de iure eorum, quæ à Collegio possidentur, suis locis reposita, ut facile inueniri possint. Archivij autem duas claves diuersæ erunt, quarum alteram Re-ctor, alteram ipse habebit Procurator.

Habent etiam authentica.

20 Seorsum habeat hæc eadem instrumen-ta, & titulos manu Notarij publici subscriptos, ut fidem faciant, si aliquando in iudicio præsentari necesse sit.

Librū habeat instrumento-rum.

21 Præter hæc Procurator librum habebit, in quo summa quædam horum instru-mentorum, & titulorum contineatur: cum autem

autem contractus maioris momenti, præser-
tim rerum perpetuarum fient, redigat in me-
moriā Rectori ad Archiuū, quod est in
vrbe penes Præpositum Generalem, eorum
exempla authentica mittenda esse.

22 Cubiculum clavi obseratum habeat,
& asseruabit scripturas, quibus ad Procura-
torium munus indigebit: cumque aliquas ex
Archiuō accipiet, earum in libro, qui in eo-
dem Archiuō erit, notato die, mense, & an-
no, memoriam relinquet; quas, cum suo tem-
pore restituet, ex eodem libro expunget.

23 In libellum referet quæcumque à Su-
periore ipsi facienda iniungentur, ne memo-
ria excidant, & effectu frustrentur.

24 Intelligat, qui sint illi potissimum,
qui beneficia magni momenti in Collegium
contulerunt, & eorum catalogum habeat, &
Superiore certiorem faciat; vt iuxta mo-
dum professionis nostræ, grati in illos esse
possimus.

Cubiculum
clavi obser-
atum, & scripta
necessaria a-
pud se habe-
bit.

Quæ in libel-
lo notabit.

Circa bene-
factores.



REGV.